

Excipit autem *Carol. Franc. de Rac.* & negat *Entis essentiam inæqualiter reperiri in substantia & accidente*, ob sequentem rationem: *Quicquid nihil magis habet in uno quam in alio, illud est æqualiter in inferioribus.* Atqui *Ens nihil magis habet in uno inferiori quam in aliis.* E. & c. *Minor probatur; Quicquid dicit unum gradum indivisibilem, & non ex multis gradibus compositum, illud totum est, ubicunque est, quia indivisibili, ut indivisibili, magis vel minus esse repugnat.* Atqui *ens dicit unum gradum indivisibilem; aliàs deberet assignari gradus Ente superior.* Resp. i. *nec prosyllogismi major nec minor procedit. Non major.* Hæc enim infringitur tum per *instantiam*, cum simili modo liceret argumentari, *potentias per unum gradum indivisibilem competere & animæ & corpori, cui communicantur propter unionem essentialem; unde argumentor: Quicquid non magis competit uni quam alijs, illud singulis æqualiter competit.* Atqui *facultates animæ v. g. facultas sentiendi, non magis competit corpori quam animæ, quia ista potentia dicit gradum indivisibilem.* & c. *Conclusio est falsa, minor vera.* E. *major falsa.* Tum per *limitationem*: *Quicquid nihil magis habet in uno quàm in alijs, ita ut nulla intercedat prioritas & posterioritas, illud æqualiter est in inferioribus: Majore sic explicatâ, corrumpit minor, cum Ens dicat respectum ad inferiora talia, quæ sunt obnoxia prioritati & posterioritati, id quod supra evictum.* *Accidens enim à substantiâ, tanquam à se priori dependet in operando.* Resp. z. *ad probationem, dici Ens indivisibile & non indivisibile.* Est indivisibile, ut totum *essentiale*, ut totum *integrale*, ut totum *numericum & potestativum*: Non est indivisibile, ut totum *universale*, & ut *genus analogum utpote cui non repugnat dividi in sua analogata, in substantiam ex accidens, in quibus inæqualiter multiplicatur.* Eat nunc *Carol. Franc. de Rac.* & gloriatur ex his à se allatis ruere omnia adversariorum propugnacula: *Tantum abest ipsa ruere ut ipsius argutiæ horum argumentorum ne umbram sustinere queant.*

QUÆSTIO IV.

An privatio sit Ens reale?

Nonnulli nimium ipsi tribuentes *reale ens privationem esse dicunt*, & sententiam suam corroborari æstimant. i. *ab Aristotele, qui*